v. d. Hardt,

Ranae

Ovidii

1711

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-153440-p0001-1

# RANÆ OVIDII

*Metamorphoſeων. Lib. IV.*

Luculento & jucundo priſcæ
Mythologiæ
abſtruſæ & nemini hactenus
perſpectæ exemplo
ad elegantioris veteris doctrinæ
uſum
& bonorum quorumcunque autorum
Græcorum & Latinorum Poetarum
lucem
*detectæ ac demonſtratæ*
ab


HERM. von der Hardt/
Præpoſ. Mariæb.
Ling. Or. & Acad. Jul. Prof.



*Helmſtadi*,
Literis Hammianis. 1711.



Li 519. 1714 2471

KGL. BIBLIOTHEK DER UNIVERSITÄT HALLE a. S.

Antiquitatis politæ & elegantioris doctrinæ amantibus lectoribus
S. P.

MIratur orbis juſte *Græcorum & Latinorum Poetarum veterum* ſublime & perargutum ingenium. Quorum monumenta majoribus omni ætate, regibus etiam & Principibus, eruditis quibuscunque viris, fuere in deliciis. Nec Alexandri arma victricia, orbe quocunque ſuperiora, Homeri carere potuerunt decoramentis. Græcæ & Latinæ res publi-

cæ, quæ ex potentia & literarum cultu caput in cœlum extulerunt, ex his scriptis virtutem & gloriam consecutæ. Neque adeo & inter nos, in Christianæ gentis gremio, ullus doctrinæ nobilioris locus, ulla humanitatis sedes, ullus virtutis sensus, ubi non laudati veteres scriptores visantur, legantur, recenseantur, & in pretio habeantur. Rudes alioquin vel simus vel futuri, qui illa antiquitatis decora, illa elegantiæ & solidi ornatus præsidia, nesciamus aut negligamus. Nullum ergo Musarum nobile theatrum, in quo non sedeant veneranda illa cana *antiquorum Poetarum* capita. Nulla vel exilis schola, quæ non vel memoriam servet senum illorum, quæ non vetusta isthæc monumenta vel manibus teneat.

Interea

Interea dolendum, in his monumentis recondita ardua prudentiæ civilis principia, veteris orbis animam, cum ab isthac ætate non capiantur, ab adultioribus hodie non attendi nec animadverti. Cujus neglectus causa manifesta, quod illustris græcæ & Romanæ antiquitatis delicata hæc monumenta, scholæ illiusve ætatis gustum longe superent, judicium excedant, adeoque palatum non moveant. Quibus annis exactis, succedentibus novis studiis, ignorata priorum dulcedo nec desiderium relinquat, nec usum: Quin, quod est inscitiæ beneficium, tantæ virtutis contemtum, si non odium, pectoribus ingeneret. Hæc etenim ingenii humani est infirmitas, ut quæ non apprehendit cognitaque habet, vel despuat aut parvi

faciat, vel & premat ac averſetur. Virtutem non colimus, quia præſtantiam ejus non pervidimus, dignitatem ejus non perſpeximus, commoda illius non ſenſimus, ex illius uſu nullum gaudii guſtum percepimus, quia non exercuimus. Fit, ut ſaluberrimum cibum nauſeemus, quia vel per naturæ conditionem guſtare non contigit, vel per imperitos aut callidos redditus inviſus. Nunc ergo imperitia uſum negat, nunc negligentia retinet, nunc inſidiæ prohibent. Neque ullum in his impedimentum turpius ac perniciosius ignorantiâ. Neſcire, quod utile, eſt illo carere, illud mittere, illud ſepelire ac abjicere, eſt, quærentibus diſſuadere, eſt tenentibus eripere. Non improbitatis ſemper eſt virtutem deſpuere, ſed vel ſimplicitatis

citatis cœcæ, vel ruditatis temerariæ, vel persuasionis fucatæ ac radicatæ. Damnamus plerumque non quod noxium, sed quod a nobis alienum. Alienum a nobis, ad quod accedere non est datum, cujus præstantiam penetrare non licuit, cujus usus non est perspectus. Gallus granum tritici deglutiat, unionem unguibus projiciat & elidat, sordibusque tegat. Hoc sane evenit nobis, uti in millenis vitæ & doctrinæ argumentis, ita & in *veterum aureorum monumentorum studio.* Quoniam primis annis, præter voces & externum eorundem sonum, ad genuinum sensum & usum pertingere per innumera obstacula, temporum præsertim infelicitatem & communem imperitiam, non fuit indultum, quod mature non animadvertimus, nec quæ-

rimus postea. Ætas alia priora sponte linquit, novis & ut appareant majoribus imminens. Nescit quid deserat, quando quid impetrare possit alibi dispicit, tanto sæpe futura infelicior, quanto linquit meliora, necdum animadversa. Quod primum educationis ac inchoatæ institutionis damnum. Cujus virtutis non a primis unguiculis infunduntur semina molliſſimis pectoribus, illius postea sensum non admittunt ossa indurata. Non est mens humana adeo sui compos, ut judicet aggrediendum fortiter negotium, ubi confectu redditum difficillimum, postquam diu ante neglexit & contemsit, ubi inventu & impetratu fuerat facillimum & plane obvium. Terremur jam difficultate, retinemur priori longo odio, impedimur

dimur vel & retrahimur metu. Nec intelligimus interea adhuc satis, quantus fructus restet, quondam desertus, nonnunquam etiam vi semotus & repudiatus, molestiâ superior, & metu glorioſior atque fortior, si animus sit. Impetraremus vel viri vel senes, quod intermisimus aut dissimulavimus negligentes, juvenes & vel juniores, si mens sederet, & commoda animadversa non temere abjiceremus desperabundi. Et prima parva clades, hostem prudentem armatum non statim in fugam vertat. Redire ad arma licet, ubi spes supersit victoriæ, si non prædæ, & urbis aut provinciæ occupandæ. Ast, si ignoretur vel victoriæ fructus, vel terrarum occupandarum opulentia, si sint qui reditum dissuadeant, qui & ferrum manibus

subtrahant, & hi vel meticulosi vel corrupti, una levis clades tot emolumenta, gloriam, regnum, vel & animum pessundet. Tanti est nosse, & probe quidem, sed & velle, & serio quidem ac constanter. Ignorantia omnis mali origo. Ignorantia tot damnorum in civitate principium, tot cladium exordium, tot litium, cædium, incendiorum, eversionum in urbe & domo prima ansa. Ignorare veritatem in foro, est profecto non ex æquo aut justo judicare, sed vel temere atque fortuito quod rectum definire, vel & insontem duriter tractare aut condemnare. Veritatis cognitio est sententiæ norma: Veri negotii expertem esse, est iniquum citra culpam etiam fieri judicem. Veri scientia solida in sacris ex genuinis suis

fontibus ac fundamentis, est doctrinæ rectæ apta regula & animi præsentis præsidium, in propaganda ac defendenda unum & dignum instrumentum. Nescire, quid conscientiam animamque deceat plene & digne, ex veris justisque statutorum divinorum principiis, est temeritate niti, tradere haud perspecta. Quod non est docere, nec persuadere, sed jubere, cogere, vel & fallere ac circumvenire. Sic prima juventus neglecta, quod non audivit, dein raro assequitur, quod nec cupit, si non odit. Quæ est fortuna bonorum autorum, humanioris doctrinæ universæ. Hoc fatum Poetarum antiquorum, ex græca vel Romana florentissima quaque republica. Quemadmodum civitas non floret, nec potest, sine literis,

ita

ita nec literæ florent, sine antiquorum monumentorum digna cognitione. Humanitas non subito oritur, sed longo usu acquiritur. Usus ille longus inchoatus ab elegantis doctrinæ antiquissimis doctoribus. Hos adeo seponere, quid est nisi parentes suos contemnere. Avum te non vidisse dicas, nec abavos ac atavos, fortunatum tamen, honoratum, locupletem. Quasi vero non paraverint illi, quibus fruaris, nisi plane sis homo novus. Juvat profecto meminisse, quo jure possideas bona, & honores a majoribus comparatos & in te propagatos, qua facultate tuearis. Necesse est, tenere tabulas & diplomata, tesseras & sigilla, longa ac diffusa sæpe monumenta, virtutis avitæ documenta, jurium ac facultatum

tum argumenta legitima. Hæc non curare, neſcire, vel & tineis aut mucori committere, quid obſecro eſt aliud, quam periculi pleno tempore non poſſe ſuorum bonorum manere herum, non jura ſua poſſe aſſerere ac legitime demonſtrare. Vel levicula de agris, de finibus, de fundo, de ſylva, lis, flammas paret, animosque dimicantium tantopere accendat, ut agri & fines conſumantur, niſi ultima ſæpe majorum monumenta producantur, quæ incendia reſtinguant. Quorum proinde ex longis annis peritia tutamen eſt provinciæ & regni, quietis & tranquillitatis munimentum. Illa ignorare, eſt, hærere, metuere, fluctuare, ſe ſuaque omnia, cum domo & provincia fortunæ exponere. Par facies civitatis & conſcientiæ,

tiæ, par conditio ſolidæ cujuscunque & alicujus momenti doctrinæ. Suis in quolibet genere fundamentis & primis principiis qui deſtituitur, quod ſcire etiam videtur, revera non ſcit, ſed opinione ductus fert, & non ſine tacita animi fluctuatione tradit. Incertus profecto, qui certo caret & immoto fundamento, rei debito. Quantoque majoris momenti ſententia, tanto oportet exactius illius cognoviſſe fundum & documenti genuini tenorem. Ex quibus perſpicuum, antiquæ nobilis & elegantis literaturæ autores & patres, græcos & latinos poetas, a viris non curari, ubi juvenes ab illis abſterriti. Dulcedinis inſcitia incrementa cum annis ſumſit, ut in tædium degenerarit & fugam. Scimus, non omnium eſſe, omnia, & prima quidem

dem, pernoviſſe. Scimus etiam, quorundam eſſe, prima exacte noſſe, qui tenentur poſtrema ex primis deducere. Arcanas tabulas in illuſtribus domibus non omnes norunt, norit tamen herus, norit & miniſter primus ac rerum protector, norit & alter, in cujus manu ſunt poſitæ. Non norint omnes veterum poetarum pervetuſtas, Orphei, Muſæi, Homeri, & reconditas ſapientiæ veteris tabulas, ſint profecto, qui capiant & probe norint, aut ignorantia illa infinitorum errorum eſt manetque ſcaturigo. Quæ literarum gloria, optimos autores, elegantiæ & decoris humanæque ſapientiæ fontes, plane ignorari? Atqui hæc, in veterum elegantiſſimorum ſcriptorum choro, in horundem ſtudio, gloria publica eſt, plene ignorare,

rare, nisi forte aliquod morum effatum perspicuum effulgeat. Hæc non scholarum in trivio, sed & Academiarum indubitata magna gloria, vetustissimos illos autores omnes, omnis nitidæ doctrinæ fontes, penitus ignorari.

Dum in illis lustrandis hærent sagacissimi, & hodie nil vident, nisi rerum naturalium nescio quæ arcana, quæ & auro conficiendo sint destinata. Quæ cum rideant alii, non nisi morum ideas in tam reconditis & abstrusis latebris quærunt, cum res morum ubique sint in illis ipsis scriptis in propatulo, clare atque dilucide expressæ. Majores in illis vetustissimis monumentis contineri res, quæ publicarum rerum negotia & fata concernant,

cum

cum Strabone agnovere veterum sapientiores. Historias urbium ac regnorum, patriæ præsertim, ab illis pro vetusti seculi stylo argute & nitide cantari, suboluit istis, qui æqua animi lance universa perpenderunt. Fuerint pauci, qui viderent; Veritatis non est videri ab omnibus, quia non omnes utuntur oculis. Fascinum ex opinione, relationeque populari, non admittit plerosque ut oculis se uti posse credant, & circumspicere ausint. Cœcum hos tenet & oblectat obsequium: Dormire horum voluptas, & insomnio ludi, quibus evigilare molestum & oculos circumferre tædiosum. Non ire sed rapi, his satis. Somno saginari, & inscientiæ acquiescere, his salutare. Non obscura, quæ in medio sole posita, nisi his qui oculos clau-

dant, ac se videre non posse queran-
tur. Quorum querela misericordia
digna. Quidni tandem dies sit, ut
antiqui in oriente & occidente solis
radios observemus, luceque frua-
mur. Quid juvat, juventutem in
scholis tot græcis & latinis poetis di-
stineri, vel & torqueri, si nihil ho-
rum intelligere debeant? Cur non
intelligant? Si ingenii acies in illis
scriptis est, si orationis decor, rerum
magnitudo, prout laudes Homeri
sunt pene immensæ, quidni hæc
monstrentur? Condonandum tot
seculorum longis ambagibus, qui-
bus caligo regnavit & tenebræ opti-
mas presserunt literas. Utendum
tandem luce, fruendum die. Satis,
tempus ἄδηλον evanuisse; Tempus
μυθικὸν, quo historiæ pro illorum
seculorum genio & consuetudine
mytho-

mythorum sive figurarum involucris sunt tectæ, in monumentis istis supereſt, quod proxime tempus ἱστορικὸν præceſſit. Illud ergo non linquendum intactum, sed cum plana historia secuta conjungendum. Historiæ & illæ, sed in umbra. Umbra dispungenda. Neque profecto res exiles, sed magnæ, æque ac in plana historia Herodoti, Thucididis ac Xenophontis. Res gentium integrarum, rerumpublicarum, urbium, regnorum, magnatum, res pacis & belli, res ardui consilii, legum & statutorum. Legimus Cæsarem, legimus Livium, ceterosque historicos, latinos non minus ac græcos, ut cognoscamus, quibus institutis tam magnæ urbes & ampla regna surrexerint, creverint, steterint, ceciderint. Quidni & pervideamus,

quid ante illa recentiora tempora, cujus aperta relicta descriptio, in simili regnorum regimine contigerit? Tenemus, & in manibus habemus: pervideamus ergo. Ut viam proinde monstrem, quod citra invidiam dictum velim, primus, libet in gratiam docti seculi & eruditæ posteritatis, exemplum quoddam nobile & jucundum, ne qui argumenti austeritate terreantur, ex Poetæ Romani, citra dubium elegantis & arguti, Ovidii, inclyto & nitido Metamorphoseων libro, fabulas appellat vulgus, mythologiam amœnam oculis peritorum exponere, ut pervideant, quæ in tam lepido, uti appareat, libro recondita sint præclara antiquitatis rudera. *Rusticos* canit *Lycios in ranas mutatos.* Quid lepidius? Non somnium esse, aut ingenii lusum, memi-

meminerit, qui vel ex Pausania ceterisque priscis rerum Græcarum monumentis animo volverit *Latonæ* cultum sacrum. Res hæc apud illos, pro veteri idololatria, gravis. Etsi enim idolorum cultus vanus esset & inanis, erant tamen idola, colebantur & observabantur. Cultus ille revera existebat in tot græcis urbibus. Verum ergo historiæ momentum. Quæque circa hunc idoli cultum contigere, similiter res gestæ, historiæ. Sciendum idcirco, quænam illa Latona, quodnam idoli portentum, & quæ illius fata, umbris figurarum operta & carmine tecta. Cognoscendum, qui rustici illi Lycii, qui indigne Latonam tractarint; inprimis, cum *Latonæ humanitas* erga rusticos etiam illos tantopere prædicetur. Memorabilis

sane historia Græca; cum Ovidius res veteres Græcas, unde Romanæ erant natæ, latine scriberet, & æque eleganter caneret, non exiguum regiminis documentum. Res agitur coloniæ cujusdam. Prisca siquidem tempora coloniis suas gentes propagabant; sicut & nostra pace & bello nonnunquam transplantant. In Americam quot familiæ transferuntur? Quot jam urbes ibi ab Europæis consitæ, imo conditæ novæ? Ex Gallia quot turmæ in Germaniæ urbes delapsæ, his aliisque fatis? Coloniarum gloria apud veteres magna, & fata diversa. Migrationum adeo, originumque in populis & gentibus memoriam cum servaverit mythologia, Ovidius in Latonæ itinere & casibus ancipitibus tale insigne negotium perbelle adumbravit.

bravit. Coloniæ hic pingitur ſtudium, conatus, ſollicitudo, commeantium & civitatem apud alios quærentium ſcopus, conſilium ſincerum; horum integritas, qui aliis oppidis quo tenderent, & ubi reciperentur, non moleſti futuri, non artibus vetitis dediti, non fraudulenti, non ſocordes, non civibus ad quos pervenire, apud quos civitatis jure donari contingeret, pernicioſi; quin modeſti, frugales, tranquilli & ſuis contenti, humani, obſequioſi, imò humiles & devoti, periti quoque & jurium obſervantes. Quæ omnia jure obſerventur à circumſpecto magiſtratu, ante, quam admittantur hoſpites, cum turpius ejiciantur quam admittuntur. Sed & æquitatis ratio indicata, quæ ſuadeat, tales hoſpites, colonos, admittere,

ferre, non temere rejicere & excludere, servata conditione virtutis præstandæ, quam fideliter polliceantur. Insimul fatum triste coloniæ pingitur, quæ citra culpam, alicubi, ubi anxie sedem quæreret, excluſa. Horum etiam, qui excluderent, inhumanitas, qui bonos colonos repellerent, imprudentia istorum, qui honestos advenas, futuros cives, non solùm non admitterent, sed indignis modis non sine injuria & contumelia abigerent, notatur, & tanquam indignum facinus vituperatur. Negotium sane rerumpublicarum nec hodie insolens, colonos, vel paucos cives, aliunde venire, & sedem ex una republica in aliam transferre. Et hic igitur colonorum civiumque novorum aliunde adventantium sinceritas uti exploranda,

randa, ita agnoſcenda', nec humanitas inhumanitate compenſanda. Prudentiæ & hic locus , ut & benignitati, atque modeſtiæ , in recipiendis , vel ſi res ita ferat declinandis. Quod confici poteſt moderato conſilio & modeſto verbo, ne fiat cum impetu, tumultu , cum alterius inſontis ignominia. Humanitas hoſpitis, hoſpitium etiam petentis, humaniter admitti, humaniter etiam, ſi non placeat, dimitti poterit & debebit. Virtus coloni, ſupplicis maxime, non frangenda, vi & atrocitate: Nec inſidiis etiam evertendum ſinceritatis in colono ſtudium ac deſiderium. Aut verendum, quod Ovidius in mythologia canit, ne patientia inique habiti & devoti coloni, nimis læſa, vertatur in indignationem, quæ non ſemper offenden-

tibus

tibus salutaris. Certe vindictæ nonnunquam occasio reliqua, intemperantiam illam digne ulciscendi. Cavere adeo satius humanitatis præsidio, ne humanitas lædatur ac violetur nimis, ne contingat, inhumanos non manere homines, sed humanitate deposita in bruta & saxa degenerare. Quæ pericula concinne admodum delineavit elegantissimus poeta, græci decoris æmulus admodum felix, quibus prudentes cives absterruit & monuit, discerent intemperanti parcere linguæ, nec novos colonos acerbe duriterque tractare. Quantus in illis mythologiis orationis splendor! quæ rerum dignissimarum lumina, reipublicæ saluti & virtuti commendandæ sacra! Quæ honestatis, humanitatisque in colonis commendatio! quod

inhu-

inhumanitatis apud cives vituperium! quod, ex vindictæ divinæ quoque formidine, modestiæ consilium! Quam salubria omnia, nec a nostris moribus aliena! quam rebus perpetuis, semper redeuntibus accommoda! Tanti est vel exiguam penetrare mythologiam. Talis totus Orpheus, talis Homerus, talis Hesiodus, talis & plerumque Pindarus, Euripides, talis & suis locis Virgilius, Horatius, reliqui omnes mythologi, omnes reapse Historici, sed oratione usi sublimi, obliqua, tecta & figurata, non omnibus obvia, ingenio & subacto judicio relicta. In recensione cuncta breviter sed perspicue dicere sum annisus, ne prolixitate fierem molestus. Longior & hic esse nolo. Periti lectores intelligent, quantum præsidii hinc alluceat

ceat optimis literis. Sobrii judicent, hominesque se esse meminerint, humanitatis non expertes. Quod si existat, qui pro judicii sui intemperantia, humanam vocem deponat, nec serenam fati præsentis faciem agnoscat, suorummet commodorum prodigus, bonarumque literarum exsors, si non hostis, sciat, moneo, *Stellionem Ovidii* haud longe abesse.

*Script. A. 1711. d. 10. Junii.*

OVIDII

# OVIDII RANÆ

## EX RVSTICIS.

Memorabile reconditæ veteris mythologiæ exemplum.

Jul. Cæs. Scaliger

*Poetic. l. 6.*

Ovidius totum transformationum
argumentum transtulit
è Græcis.

## Ovidius Metamorphos. Lib. VI. fab. 4.

1 *TUnc vero cuncti manifestam numinis iram*
2 *Femina virque timent: Cultuque impensius omnes*
3 *Magna gemelliparæ venerantur numina divæ.*
4 *Utque fit, a facto propiore priora renarrant.*
5 *E quibus unus ait: Lyciæ quoque fertilis agris*
6 *Non impune deam veteres sprevere coloni.*
7 *Res obscura quidem est ignobilitate virorum,*
8 *Mira tamen. Vidi præsens stagnumque locumque*
9 *Prodigio notum. Nam me jam grandior ævo*
10 *Impatiensque viæ genitor, deducere lectos*
11 *Jusserat inde boves, gentisque illius eunti*
12 *Ipse ducem dederat. Cum quo dum pascua lustro,*
13 *Ecce lacu medio, sacrorum nigra favilla,*
14 *Ara vetus stabat tremulis circumdata cannis.*

15 Re-

15 *Restitit; Et parvo, faveas mihi, murmure dixit*
16 *Dux meus. Et simili, faveas mihi, murmure dixi.*
17 *Najadum, Faunine foret tamen ara rogabam*
18 *Indigenæve Dei. Cum talia rettulit hospes:*
19 *Non hac, ô juvenis, montanum numen in ara est:*
20 *Illa suam vocat hanc, cui quondam regia conjux*
21 *Orbem interdixit: Quam vix erratica Delos*
22 *Errantem accepit, tunc cum levis insula nabat.*
23 *Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ*
24 *Edidit invitâ geminos Latona novercâ.*
25 *Hinc quoque Junonem fugisse puerpera fertur,*
26 *Inque suo portasse sinu duo numina natos.*
27 *Jamque Chimeriferæ, cum sol gravis ureret arva,*
28 *Finibus in Lyciæ, longo dea fessa labore*
29 *Sidereo siccata sitim collegerat æstu,*
30 *Uberaque ebiberant avidi lactantia nati.*
31 *Forte lacum mediocris aquæ prospexit in imis*
32 *Vallibus. Agrestes illic fruticosa legebant*
33 *Vimina*

33 *Vimina cum juncis, gratamque paludibus ulvam.*
34 *Acceſſit, poſitoque genu Titania terram*
35 *Preſſit, ut hauriret gelidos potura liquores.*
36 *Ruſtica turba vetat. Dea ſic affata vetantes:*
37 *Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt:*
38 *Nec ſolem proprium natura, nec aëra fecit,*
39 *Nec tenues undas: ad publica munera veni.*
40 *Quæ tamen ut detis, ſupplex peto. Non ego noſtros*
41 *Abluere hic artus laſſataque membra parabam,*
42 *Sed relevare ſitim: Caret os humore loquentis,*
43 *Et fauces arent: Vixque eſt via vocis in illis.*
44 *Hauſtus aquæ mihi nectar erit; vitamque fatebor*
45 *Accepiſſe; Simul vitam dederitis in undis.*
46 *Hi quoque vos moveant, qui noſtro brachia tendunt*
47 *Parva ſinu. Et caſu tendebant brachia nati.*
48 *Quem non blanda deæ potuiſſent verba movere?*

49 *Hi tamen orantem perstant prohibere: minasque,*
50 *Ni procul abscedat, conviciaque insuper addunt.*
51 *Nec satis est: Ipsos etiam pedibusque manusque*
52 *Turbavere lacum; Imoque e gurgite mollem*
53 *Huc illuc limum saltu movere maligno.*
54 *Distulit ira sitim. Neque enim jam filia Cœi*
55 *Supplicat indignis, nec dicere sustinet ultra*
56 *Verba minora dea. Tollensque ad sidera palmas:*
57 *Æternum stagno, dixit, vivatis in isto.*
58 *Eveniunt optata Deæ. Juvat esse sub undis,*
59 *Et modo tota cava submergere membra palude:*
60 *Nunc proferre caput, summo modo gurgite nare:*
61 *Sæpe super ripam stagni consistere: Sæpe*
62 *In gelidos resilire lacus. Sed nunc quoque turpes*
63 *Litibus exercent linguas, pulsoque pudore*
64 *Quamvis sint* sub aqua, sub aqua *maledicere tentant.*

65 *Vox*

65 *Vox quoque jam rauca est: Inflataque colla*
*tumescunt,*
66 *Ipsaque dilatant patulos convitia rictus:*
67 *Terga caput tangunt, colla intercepta videntur:*
68 *Spina viret: venter, pars maxima corporis*
*albet:*
69 *Limosoque novæ saliunt in gurgite* ranæ.

## *Rustici* Lycii ob maledicentiam *in ranas* mutati.

PRofundam *universæ veteris mythologiæ sententiam* impense desiderat orbis eruditus. Placebit partis nunc nosse nervum. Veterum enim *Poëtarum, Græcorum & Latinorum*, citra discrimen *omnium*, spissa *caligo*, (utpote quorum *nullus*, nec Homerus, nec Ovidius, nec alius, in hunc usque diem, tristi omnium doctiorum consensu, *intelligitur*), sua obscuritate terret peritissimos. De quibus tenebris in Græcorum & Latinorum Poetarum choro, in perbrevi hac recensione amplius præfari animus non est. Fiet hoc fortean, ubi *Ranas Homeri cum muribus dimicantes* læti spectabimus, in scena memorabilem belli Græci historiam: ut & quando *Oceanum* & *Pontum Poetarum*, cum *Ogygio*, *Neptuno*, *Thetye*, *Amphitrite*, *Phorco*, *Glauco*, *Gorgonibus*, *Tritonibus*, cæterisque *marinis monstris*, cominus lustrabimus: Quando ex *capitis Medusæ* sanguine *curalium* prognatum intuebimur.

Nunc absque ambagibus *Ranas Ovidii* non sine voluptate audiemus & contem-

templabimur in rusticis Lyciis, & rusticos in ranis: ut vel ex *hoc primo in orbe exemplo*, quod sine invidia dictum esto, eluceſcat, quantum *veterum* tempore mythico fuerit *artificium*, *hiſtoriam* ſuam *patriam* pro remotorum ſeculorum memoria nitidis mythologiarum coloribus *adumbrandi*, poſterisque ſub tegumentis & involucris oportune commendandi. Canentem ergo *Ovidium*, Græcæ, *Romana* antiquioris hiſtoriæ, luculentum interpretem, attente audire par erit, cujus verba ſtrictim illuſtrabimus, ingrata brevitate lectoris impatientiam haud veriti, *mythi arcana* & *latentes carminis nervos* ſigillatim demonſtraturi. Unde colligi à prudente & perito quolibet viro abunde ac peropportune poterit, quæ longi voluminis Metamorphoſeων tecta ſit & *recondita hiſtoria*. Cui par ſublimis & *argutus omnium Græcorum*, Orphei, Muſæi, Moſchi, Homeri, Heſiodi, Pindari, ut & *Latinorum Poëtarum genius*. Intelligent viri ſagaces, quid *Apollonii imagines* demonſtrent, quid *Apollodori Bibliotheca* doceat, quid *Cononis Narrationes velint*, *quid Ptolomæi Hephæſtionis ad variam eruditionem hiſtoriæ* nuncient, quid *Parthenii Nicaenſis Erotica* cupiant,

piant, quid *Antonii Liberalis Metamorphoses* impertiant, quorsum omnes mythologi quondam collimaverint. Sed jam ad *rusticos Lycios*, qui *in ranas* degenerarunt. In quam scenam sic præfatur Ovidius:

V. 1. *Tunc vero cuncti manifestam Numinis iram*
2 *Femina virque timent: cultuque impensius omnes*
3 *Magna gemelliparæ venerantur numina divæ.*

*Niobes* fata cecinerat Poeta longo superiori carmine, quæ ob contemtum Latonæ *in saxum fuerat mutata*. *Niobe* est Bœotica civitas, Thebanæ ditionis, *Cnopia Thebaica* Straboni lib. 9. f. 404. vocata. Ut urbes, virorum vel feminarum charactere, a pictoribus, sculptoribus & poetis & hodie sæpe effigiantur. Hæc Bœotorum urbs *Cnopia Thebaica* coloniam urbis Delphinii cum sacro Latonæ cultu repudiarat, aditum illis negarat, civibusque commercium interdixerat, Ovidio prius canente.

Λητὼ, *Latona*, de qua alibi ex instituto agemus & plene, simulacrum, quod colerent Græci, Bœoti præsertim, à quibus nacti

nacti & Ægyptii, de quibus Herodotus, Strabo, Pausanias, *symbolum mythicum urbis Delphinii in Bœotia.* Quod oblitus Plato, universi materiem fingens, Heraclides Ponticus in Allegoriis Homeri, qui *oblivionem* rationi adversam somniat, & Natalis Comes, *malorum oblivione* vel & *terra* delectatus. Ut imperitia antiquitatis est oblivionis soror. Quemadmodum vero *pro urbium & populorum ideis* statuas humanas omni ævo efformare sueti sculptores, quos pictores & poetæ pro sua solertia æmulati: Ita illa *sculptilia*, statuæve formosæ & aliquando pretiosæ, ingeniosa & spectabilia *gentium* & *urbium symbola*, tum in patria, tum in aliis oppidis & terris, *quorsum coloniæ & cives abierant*, in originis memoriam, venerationem & sacrum tandem honorem impetrarunt. Quo pacto lignea primum, aurea dein, argentea, lapidea, marmorea, illa sculptorum & artificum monumenta, in honorem gentium & urbium celebrium affabre effigiata, præsertim apud Græcos devote & religiose coli cœperunt. Quam in rem vel Pausanias pro luculentissimo inserviet commentario.

In his *innumeris*, pro urbium magnarum & clararum gentium frequentia artificumque affectu, comtis *simulacris*, religiose cultis, excelluit apud Græcos & *Latona*. Erat autem, ut jam dictum, *Latona* originitus *symbolum & effigies* urbis gentisque Bœoticæ, *Delphinii*, quæ in littore Euripi, cognomine *portus sacri*, a Strabone lib. 9. commemoratur. Gentium *nomina* nec non urbium & antistitum, *propria*, *in cognata appellativa* argute ab artificibus ingeniosis mutari solita, quæ pro opportuno symbolo simulacris tribuerentur, & a poetis porro sub istis symbolis canerentur.

*Delphinii*, oppidi Græci, inter Bœotos, *symbolum*, statuam femineam eleganter sculptam, flexo Ἀγκῶς *Peregrinantis*, *Latonæ*, nomine, a vicinis Bœotis, pro *Delphinii civibus alio habitatum concedentibus*, proque affectu in urbem illam patriam bene meritam, passim erigi, templo quoque & luco illi condito, cultuque religioso celebrari, cum annis ceterorum exemplo contigit. Quod cum fieret, *Niobe*, seu civitas *Cnopia Thebaica*, hoc simulacrum *Latonæ*, oppidi *Delphinii* vicini *symbolum*, adeoque aram illi paratam, cum *colonia peregri-*

*regrinante* & sedem quærente, ferre detrectavit. Quandoquidem ergo Niobe, urbs Cnopia, Latonam repudiarat, coloniam Delphiniam apud se ferre noluerat, hospites civitatis jus quærentes rejecerat, hæc inhumanitas vindicata est non solum Delphiniorum armis graviter, sed & a statuariis sculptoribusve, pictoribus & poëtis, stylis, pernicillis & carminibus: Qui *Nioben, Cnopiam, inhumanam & inhospitalem* demonstraturi, *in lapidem aut saxum abiisse* dicerent, pingerent & sculperent, *non homines Cnopios*, humanos, mites, sociorum & religionis amantes, vicinorum honorī deditos, *sed intractabilia saxa & cautes* esse: Allusione sueta, valde arguta, ad σκόπηλον *scopulum*: Κνωπίους εἶναι σκοπήλους, *Cnopios esse scopulos, non homines.*

Quo Niobes vel civitatis Cnopiæ fato territi alii vicini inter Bœotos populi, Latonam coloniamve Delphiniam apud se lubentius ferre, hospites æquius tractare, Delphiniique symbolum benignius majorique cum modestia excipere, didicerunt.

Quæ *Cnopiæ* Niobesve *fata*, ex colonia Delphinia spreta, sed saxo vindicata, Poëta canit in carminis exordio laudatis

verbis: *Tunc*, post Nioben aut civitatem Cnopiam coërcitam, *cuncti* vicini Bœoti, *manifestam numinis Latonæve iram* & vindictam metuunt, ex Latonæ colonia rejecta, quam ab urbe Cnopia sumsissent Delphinii armis, & statuarii, pictores, poëtæ, figuris & carminibus, salsis & acribus. *Femina virque illam timent vindictam*: Cives Bœoti aliique in variis oppidis, magnis & parvis, Cnopiorum exemplo territi, V. Pausan. l. 2. c. 21. f. 160. tum arma Delphiniorum tum sculptorum & poëtarum imagines & dicteria sunt reveriti, quæ perpetuam ex illo hospitum contemtu urbibus notam inurerent. *Cultuque impensius omnes venerati magna numina divæ gemelliparæ*: Sollicitius Latonam, coloniasq; Delphinias, observare cœperunt. *Gemellipara* vero Latona, quæ *Apollinem* & *Dianam*, duas magnas & præclaras colonias, duabus novis statuis postmodum ornatas, mox in urbe Bœotica Delio genuit, de quibus infra. Bœoti, cauti Niobes Cnopiæve exemplo, quæ inhumanitatis suæ pœnam dederat cautibus, in quas rigida conversa, humaniores paulo & mitiores facti.

Pergit post præfationem Ovidius:

4 *Utque fit, a facto propiore priora re-*
*narrant.*

Occasione *fatorum Niobes* aut Cnopiæ, quæ in saxum abierat, inhumana, digreditur Poëta ad recensionem *similis plane fati in alia urbe Bœotica*, quæ similiter jam olim contemptum Latonæ & coloniæ luisset simili probroso *ranarum charactere.*

5 *E quibus* (Bœotis veteres patriæ suæ historias repetentibus,) *unus ait*: Nomine alterius Poëta *novæ Bœoticæ urbis in ranas mutatæ scenam* apparat, non suo, Poëtarum arte, quæ prosopopœiis gaudet.

5 *Lyciæ quoque fertilis agris*

6 *Non impune Deam veteres spreverе*
*coloni.*

Comparat cum Niobe, in Latonam contumeliosa, sive cum civitate Cnopia, Latonæ coloniam rejiciente, *aliam & Lyciæ urbem, quæ pariter Latonam despuerit, pœnamque dederit*, ranarum *natura induta*, *uti Niobe in* saxum *transierat.*

Urbem Poëta non aperte nominat, sed oblique, stylo veteri ordinario mythico, *Lyciæ* agros. Uti *Cnopia Niobes* nomen induit, ita & *Lyciæ* nomen datum urbi Bœoticæ *Salganeo.* Σαλγανεὺς, *Salganeus*

*neus, urbs Bœotiæ* ad Euripum sita, haud longe a Chalcide, in edito loco, juxta Strabonem, & Stephanum de Urbibus. Mythologorum ars, in urbibus canendis, sive laudando, sive vituperando, *nomina genuina*, *propria*, ita *mutare*, ut non nisi a peritis possit dignosci, artis conscii. Quæ *nominum inflexio* lectorem incautum & imperitum *in peregrinum* deducit *theatrum*, in alienam plerumque terram, qui putet, in remotis locis rem contigisse, patriæ suæ aut vicinæ regionis immemor. Quod potissimum est in Poëtis dissimulandi fallendique artificium. Ita hic *Salganeum*, *Bœoticam urbem*, reprehensurus Ovidius, *Lyciam*, peregrinam terram, lectori objicit, quo illum rapiat, ranas ex hominibus factas contemplaturum. In *Asiam* oculos mentesque trahit, ne in *Græcia* rem evenisse intelligat lector, nisi oculatus. Unde Ephesiorum jactantia, hæc apud se contigisse, teste Tacito, lib. 3. Ann. per mythologiæ inscitiam subnata. Ceterum, *regionum*, adeoque & *nominum mutatio*, *analogiam docte servat*. Sic pro *Salganeo Lycium* agrum subornat antiquitas, recte in nomen urbis *Lyciæ Sagalassum*,

*laſſum* Ptolomæo, aut *Carmyleſſum* Straboni, collimans, *analogia* manifeſta. Accedit, quod *Leleges* in finibus Cariæ & Lyciæ degerent, qui non ſolum in Græcia inter Locros, ſed & *in Bœotia* priſtinam ſedem habuerant, Strabone memorante. De quibus Lelegibus vid. Palmerius â Grentemesnil, Antiquæ Græciæ Deſcr. l. 1. c. 10. Ex quibus *concinnitas argutiarum* transparet: *Salganeenſes*, λέλεγας, *Leleges*, *evaſiſſe* λάλαγας, *loquaculas* ranas. Quam Poëtarũ qui penetrat artem, næ, ille hos plane capit.

Præludit porro Poëta, nomine viri alterius, hiſtoriam referentis, Salganeenſes toto carmine celebraturus:

7 *Res obſcura quidem eſt ignobilitate virorum,*

8 *Mira tamen.*

Quæ prima falſa eſt commendatio *Salganeenſium*, quos *obſcuros* vocat & *ignobiles viros*, dignos, qui *ranæ* tandem fierent, miro fato. Alludit autem Poëta his tectis & obſcuris, ſed acutis Salganeenſium characteribus, pro mythologorum arte perenni, in nomina Græca, *Salganei* ſonum oblique & ſcite referentia. *Salganeus* Σαλγαιεύς, λυγαῖος, *obſcurus*, ἠλυγαῖος. *Salganeus*, ἀκλεὴς, ignobilis, inglorius.

*Vidi*

8 *Vidi* (inquit alter, rem miram referens,) *præsens stagnum locumque*
(*lacumque*)
9 *Prodigio notum.*

Alterum hoc Salganei elogium, quo illam non urbem, sed *stagnum, lacum & paludem* appellat, pro apto ranarum domicilio. Λάκκος *lacus*, τέναγος, *locus cœnosus* & paluſtris, στέγανον, *stagnum*, quod aquas elabi non patiatur: Peraptæ & decoræ alluſiones ad nomen urbis *Salganei*, quam ob morum inconcinnitatem comparat cum *lacu & palude*, ubi jure degant *non cives ſed ranæ.*

Deſcribitur adhuc diſtinctius alter ille (cujus nomine rem canit Ovidius,) Bœotus, qui *ex ipſo Salganeo cive* ſe lepidam hiſtoriam accepiſſe dicat:

9 *Nam me jam grandior ævo*
10 *Impatiensque viæ genitor deducere lectos*
11 *Juſſerat inde boves, gentisque illius eunti*
12 *Ipſe ducem dederat.*

*Bœotum* fuiſſe nunciat Ovidius illum narrantem, cujus perſonam ſuſcepit canens: *Boves*, βόας, illum paviſſe & duxiſſe inquiens.

ens. Et *vicinum* quidem *Salganeo* vel lacui illum civem fuisse Bœotum, velut *ex agro* aliquem *Salganeensi*, ditionis Salganeensis. Hanc, ait, se accepisse *historiam Salganeensium* in ranas mutatorum *ex ipso Salganeensi viro*; in vetera *carmina* respiciens, quæ in *Salganeenses* olim à *Poëtis facta* non ignorarent Salganeensium peritiores.

Accedit Poëta propius ad historiam ipsam:

12 *Cum quo*, (Salganeensi, Bœoto;) *dum pascua lustro*, (Bœotus, urbi Salganeo vicinus:)
13 *Ecce lacu medio, sacrorum nigra favilla*,
14 *Ara vetus stabat tremulis circumdata cannis.*

Quæ est blanda *Salganei*, nomine *lacus*, descriptio, una cum veteri sacro in urbe cultu Latonæ. In media palude, i. media urbe, in hac urbe, reliquias extitisse aræ veteris Latonicæ. Circa aram *tremulæ cannæ*: λαγαρὸς, χαλαρὸς κάλαμος, *languidus*, *laxus calamus*, *civium Salganeensium effigies* vivida absque probro, pro apta *paluais* allegoria. *Salganeenses*, λαγάζοντες, *languidi*, laxi, remissi, pigri, instar λαγαρῶν καλάμων tremularum

larum aut *languidarum cannarum.* Allusiones apertæ, sed & acerbæ, aptæ & justæ.

15 *Restitit; Et parvo, faveas mihi, murmure dixit*

16 *Dux meus.*

Salganeensis civis, *Bœotus*, dux viæ Bœoti alterius, vicini, traditionem de urbe Salganeo veterem recensere instituit: Tacitum votum veteri aræ Latonicæ fundens, amorem & gratam memoriam humanæ veteris coloniæ testatus.

16 *Et simili, faveas mihi, murmure dixi.*

Quod simile alterius etiam Bœoti tacitum ad Latonam olim pulsam, cujus ara supereffet, suspirium & votum. Tacitæ observantiæ erga Latonianam veterem gentem, in priscam ve apud illos Delphiniorum coloniam affectionis, apud Salganeenses quosdam reliquæ, geminum indicium.

17 *Najadum, Faunine foret tamen ara rogabam,*

18 *Indigenæve Dei.*

*Najades*, fontium fluminumque simulacra, in memoriam civium ad *Aganippen* sub Helicone

licone in Bœotia habitantium, efformata, dearum effigie religiose passim culta, arisque exinde beata. Ovidio *Najades Hesperiæ* s. *Thespienses*, quod *Thespiæ* essent vicinæ Heliconi.

*Faunus*, aut *Pan*, numen & simulacrum, montium, vallium & sylvarum habitum præsidium, in memoriam *Panopeæ* Phocidis. (Ad exemplum veteris Delphorum urbis in Phocide, quæ quondam Napeà convallibus & saltibus vicinis vocitata, Smidi. in Pindari Pyth. Prolegom. p. 2 observante.) Νάπη, Νάπη, saltus, vallis nemorosa. Unde *Faunus* Latinis etiam audit *Sylvanus*.

His exteris ex Phocide numinibus associatur in carmine ara *indigenæ* alicujus Dei. Uti exterorum imagines in urbes passim receptæ, exterarum gentium urbiumve symbola, ita & *propriæ* erant plerumque statuæ *in honorem ipsius patriæ effictæ*, sicut aliæ *cum coloniis* illuc erant *deportatæ*, *in memoriam suæ originis* & adventus. Quærit ergo Bœotus ex Salganeensi, num *ara* illa vetus, in lacu posita, sive in urbe Salganeo sita, sit *exteri* an *proprii Bœotici cultus sacri*, tessera *peregrinæ* an *propriæ* urbis & gentis?

18 *Cum talia rettulit hospes:* (Salganeensis)
19 *Non hac, ô juvenis, montanum numen* (Faunus) *in ara est:*
20 *Illa* (Salganeensis ara) *suam* (Bœotici ortus Deam) *vocat hanc,* (Latonam) *cui quondam regia conjux* (Juno, Ἥρα, Ἔφυρα, sive Corinthus, Corinthiaca respublica, Jovis uxor, Pisanis Elienſibus confœderata & ſociata,)
21 *Orbem interdixit.*

Quam Latonam, Deam, ſymbolum urbis Delphinii, à colonis Delphiniis religioſo honore cultam, *Corinthii* omnibus modis antea preſſerant, omnique ſtudio impediverant, necubi admitteretur: per legatos ubique curaverant, *ne quam in urbem iſta* Delphinia colonia *reciperetur, ne qua novi coloni Delphinii, Bœoti,* ulla civitate donarentur, novæ nationi aſſurrecturæ gloriam invidentes, ne quid aliquando Corinthiis per novam talem coloniam decederet vel gloriæ vel emolumenti. Quibus adeo, Corinthiis obſtantibus, aditus coloniæque honos negatus, in orbe, puta pro mythologorum dicendi ratione in Achaja, Phocide, Locride, Attica, ipſaque Bœotia.

21 *Quam*

21 *Quam* ( Latonam, Delphiniique coloniam ) *vix erratica Delos*

22 *Errantem accepit, tunc cum levis insula nabat.*

*Delos* hîc, tecto mythologorum stylo, non insulam notat maris Ægæi, *Deli* nomine inclytam, ut Æliano cæterisque mythorum imperitis persuasum, sed urbem Bœotiæ *Delium*, ad Euripum sitam, Salganeo vicinam, cui ob nominis similitudinem Poëtæ *insulæ Deli insignia* tribuunt, lectores solerter & ingeniose alio pellecturi, peritis veritatem pervidentibus. Maxime cum *Bœotia* Poëtis *Ponti* aut *maris* nomine veniat. Tantoque aptior dissimulandi, veramque urbem Bœoticam Delium tegendi, materia fuit, quod Delos insula cultum Apollinis & numinum avide tandem arripuerit, gloriam exinde aucupata.

*Erratica* vero Delos audit ex mythologia & poëtica argutia. Finxere Poëtæ, *Delum insulam* a Sicilia avulsam, *errasse* per mare, incertis sedibus vagatam instabilem, nullibi fixam, nec suo loco constantem. Non quod tale quid massæ terreæ

sub undis raptæ contigerit, sed quod pro mythologorum artificio alluderent ad verbum ἀλιτίω, *erro*, *vagor*, quod idem ac ἀλάομαι, ἠλάσκω, & ἠλασκάζω, *erro*, *vagor*. Allusione poëtica: *Delios* in Bœotia fuisse ἀλιτάντας, *vagantes*, hanc urbem nominis sui habuisse omen, *colonias hujus urbis quæsivisse hinc inde locum*, sedem, *vagatas esse per varias Græciæ oras*, nec facile fuisse admissas, sed *erronum* more ubique repulsas & rejectas. Unde Λητὼ, *Latonæ*, *peregrinantis*, *oberrantis*, insigne. Hos *errores*, & *migrationes coloniarum*, tribuunt, etymologia nominis scite & oppido juvante, urbi Delio, &, ab urbe Bœotica Delio, insulæ Delo, pro artificio poëtico *dissimulando*. Quæ celebris est & docta Poëtarum fallacia, plebi incognita, a Pindaro & Hesiodo tantopere celebrata.

Hæc *erratica Delos*, *urbs Bœotica Delium*, cujus coloniæ per Græciam *oberrarent*, nullibi admissæ, *errantem* Latonam accepit; *Delphinios* vicinos, Latonæ nomine claros, eopte erroris & *vagi itineris nomine inclytos*, quo se verterent nescios, *admisit* tandem, etsi non sine quadam difficultate, Corinthiorum legatis resistentibus.

Quod

Quod præclarũ est *Delii Bœotici encomium*, quo Delphinii coloni tuto confugerint, humaniter excepti & inter cives tolerati.

*Coloniâ Delphiniorum in urbem Delium delatâ*, quæ porro *Latonæ* aut *Delphiniorum* fuerint *fata*, porro commemorat Bœotus, Salganeensis:

23 *Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ*
24 *Edidit invitâ geminos Latona novercâ.*

Illic, *in urbe Bœotica Delio*, cum Delphinii cum sua Latona sedem etsi difficulter essent nacti, Latona *incubuisse* fertur, sive ad *partum*, invitis etiam Corinthiis novercantibus, se composuisse. *Partus* est *coloniæ deductio*, *migratio*, & in certum locum deportatio: Uti uxoris est eniti liberos. Latona, cum incrementa cum annis cepisset, (puta colonias ex se quoque ducturos Delphinios, postquam in urbe Delio diu jam civitate fruiti,) *oleæ & palmæ* innixa, quas pariens prehenderet. *Olea*, ἐλαία, quæ Palladis aut Minervæ sive Athenarum arbor audit, quam Athenienses alias symboli loco venerati, in ludis solennibus *oleum* religiose distribuentes, *Delia* inquam *oliva* Catullo dicta, hic *urbem Delium*, paronomasia

masia ordinaria denotat. Latonam *oleæ* fuisse innixam, est, Delphinios, *Delii præsidio adjutos*, hactenus in urbe Delio cives, tandem in novas iterum colonias inde ducendas animum vertisse.

Sed & *palma* prehensa se in partu fortunatam deprehendit Latona: Quod est, nonsolum Delios illos, inter quos degerent, sed & ipsos *Delphinios*, genitores primos, haud longe dissitos, novis colonis ex Delo ducendis opem tulisse. Φοίνιξ, *palma*, & *Delphinium*, ex mythologorum genio allusione luculenta colludunt.

Quando hæ *duæ urbes Bœoticæ*, *Delium* & *Delphinium*, tandem conspirarunt in novas colonias ducendas, tunc edidit Latona *filios*, sive tunc *coloniæ* Delphiniorum ex Delio feliciter porro duci cœptæ, quæ postremo magnam cum annis indeptæ gloriam.

*Gemini* a Latona editi, *duæ* sunt *coloniæ*, *Apollinis* & *Dianæ* nomine insignes, in Phocide & Ætolia, *Delphi* & *Thermus*, Ἀπολλὼν καὶ Ἄρτεμις, quæ magnis postmodum incrementis surrexerunt. Ex eo Latona Orpheo dicta θεα διδυματόκος, *dea gemellipara*, ξυτεκνον ζηνὸς γονίμην ὠδῖνα λαχεῖσα. De quibus

bus fuse Cinæthus Chius Hymno in Apollinem.

Rebus ad novas colonias ducendas in urbe Delio sic quomodocunque instructis:

25 *Hinc quoque Junonem fugisse puerpera fertur,*

Latona, puerpera, colonias jam jam ductura alias, ex Delphiniis & Deliis nunc compositas, fugit & hinc *Junonem. Corinthii, Ephyrenses*, & hic tandem apud Delios tantum legationibus effecerunt, ut cogeretur Latona, *Delphinienſium colonia*, Deliis jam juncta, & hinc fugere, alioque tantisper cum toto suo cœtu in meliora tempora recedere.

26 *Inque suo portasse sinu duo numina natos.*

Migratio Latonæ, aut Delphiniorum cum Deliis, ingentia aliquando augmenta duarum urbium factura, patienter susceptа. *In suo vero sinu portavit potavitque* Latona, Delphinienſis colonia, *duo numina, Apollinem* & *Dianam*, futuras inclytas *Delphorum* & *Thermi* respublicas, velut *natos*, (grandes illas futuras novas *colonias.*) Migrarunt novæ, adhuc parvæ, olim futuræ

magnæ, *duæ coloniæ Delphorum & Thermi*, ex urbe Delio cum Delphiniis, qui illuc olim hospites venerant. Susceperat autem Latona *hos duos natos*, mythologorum relatione, ex Jove; Quod symbolum primi apud Delphinios ad coloniam ducendam instituti. Pisani cives, ex Elide Delphinium in Bœotiam delapsi, communi cum Delphiniis quibusdam consilio & fœdere decreverunt novas ex se condere gentes.

Quæ *novarum* harundem jam natarum *gentium migratio* ex Deliis ad Salganeos vicinos, eleganter & curate Ovidio canitur:

27 *Jamque Chimeriferæ, cum sol gravis ureret arva,*
28 *Finibus in Lyciæ, longo dea fessa labore*
29 *Sidereo siccata sitim collegerat æstu,*

In *Lyciam* venit errans Latona, migrans Delphinienſis colonia. *Lyciam* mythologis hic esse *Salganeensem* ditionem, supra detectum. *Chimeriferæ* nomen a situ Lyciæ desumtum, in qua *mons Chimeræ* nomine vulgo celebris. Tanto vero hic Poëta sollicitius hoc utitur epitheto, quanto magis rebus præsentibus congruum, quod & hic

hic mirabilis Salganeenſium transformatio, hominum puta in ranas, incidat.

Difficilis & *moleſta migratio coloniæ tribus exprimitur momentis*: (1) *calore ſolari*; reſpiciendo *Delphini & Delii* nomina & ἕλη ἥλη, *calor ſolis*, *ſolis ſplendor*. (2) *Defatigatione ex longo itineris labore*; alludendo iterum ad nomina urbis *Delphinii & Delii* & verba ταλάω & τλάω, ſuffero, perpetior, ſuſtineo, ut & nomen πόνος, labor. Multa migrantes devoraſſe tædia & ſuſtinuiſſe adverſa. *Delphinii* & *Delii* πολὺν ταλάσαντες πόνον, labore pene fracti. (3) *Siti*. *Deliam* coloniam, *fidereo æſtu ſiccatam*, argutiſſima vocat paronomaſia δηλιωθεῖσαν *inſolatam*, *ſole peruſtam*. Quod eſt ſcitiſſime dictum: Ex æſtu velut *Solis* ἡλίου, *Delio* urbe, nata & oriunda, aucta quoque & illuſtrata magis, nota illa clara natio; Delphorum hinc ortus ipſe Sol, Apollo. Quam illuſtre & ſerenum Poëtarum ingenium! Ulterius illa itinerum & negotii aſperitas augetur infantum cura:

30 *Uberaque ebiberant avidi lactantia nati.*

Colonias illas, populosve novos ducendos, adhuc junctos, non parvas creaſſe moleſtias

stias sibi & suis ducibus, haud aliter ac infantes duo, gemellive, matrem valde excrucient & exhauriant, submonet Bœotus. *Avidi* vero *nati*, hic duo illi sunt laudati *populi*, spe lactati, in futuram gloriam alendi & educandi, mox per duas colonias distinguendi, *Delphici* & *Thermii*, nomine *Apollinis* & *Dianæ* mythologisomnibus, Orpheo, Homero, Hesiodo, & certe, decantati.

Fessa mater quorsum venit cum geminis?

31 *Forte lacum mediocris aquæ prospexit in imis*

32 *Vallibus.*

Latona, *Delphiniive* aucta jam ex Deliis *colonia*, pergens, progressa est ad cives urbis vicinæ, *Salganei*, quando ex urbe Delio excesserat. Urbs adeo Bœotiæ *Salganeum*, veteri falso insignitur *lacus* elogio.

Et *valles*, γύαλα, pro elegantis paronomasiæ & allegoriæ tenore, tametsi urbs ipsa in colle esset sita, justæ laudis vim præ se ferunt; urbem *Salganeum* esse γύαλον, in sublimi alioquin loco positam, sua *ruditate* aut *inhumanitate* effecisse, ut in imas *valles* subsediisse videretur. Et vallis, κοιλὰς, ut & λαγὼν, terræ cavitas, ad *Salganeum* amplius alludunt. Nec

Nec magnus lacus, sed *mediocris* aquæ, κλυδώνιον, κλυδὼν ὀλίγ& *parva unda*, aliquid vehit notæ, ipsamet etiam in *Salganeum* allusione.

Posthæc Poëta, sub persona alterius Bœoti referentis, digreditur in magnas & exuberantes Salganeensium, liberalium & officiosorum civium laudes:

32 *Agrestes illic fruticosa legebant*
33 *Vimina cum juncis, gratamque paludibus ulvam.*

*Agrestes* & rusticos vocat cives *Salganeenses*, alludendo pro mythologorum arte ad cognatas appellationes, *Salganeo* consonas: Salganeenses ἀσαλεῖς, nihil curantes, ἀήσυλοι, molesti, iniqui, ἀσέληνοι, obscuri, αἴσηλοι, tenebricosi, fuliginosi, ἀτάθαλοι, nefarii, χολαῖοι, tardi, segnes, ἀχανεῖς hiantes, γλοιοὶ sordidi, maligni, malis imbuti moribus, γλιχεοὶ, glutinosi. Rustici, optimâ forma. Hi agrestes *fruticosa legerunt vimina*, quæ negotiorum apud Salganeenses, pro allegoriæ virtute, est celebratio, qui *rusticis dignos*, rusticos & viles, illiberales exercuerint *labores*. *Viminum* voce alludit ad λύγ&, salix, vitex,

λυγίζω

λυγίζω, flecto, torqueo, quorum omina in ipsius urbis *Salganei* nomine. Et ἀλίζω, συναλίζω, ἀγελάζω, colligo, coacervo; Et χοῖνος, juncus, χλόη, alga, ulva, ominosa *Salganeensium* elogia, quorum res laboresque nil nisi ἀγελάζειν & λυγίζειν λύγους καὶ χοίνους, colligere & *torquere vimina & juncos, ut dignum hominibus sordidis & agrestibus.*

Ad hos cives civilitatis expertes, insulsos Salganeenses, pervenit fessa Latona, Delphinienſis amplior jam colonia, Deliis aucta:

34 *Accessit, positoque genu Titania terram*
35 *Pressit, ut hauriret gelidos potura liquores.*

*Titania* Latona, est Delphinium *originis Achivæ* ex urbe veteri *Titane*; unde *Titanes*, longaque *Titaniorum Titaniarumque* familia, tot urbes per Græciam sparsæ, Achivi ortus.

In humum se prostravit, *in genua procubuit, non nisi lympham sorptura*; pro testimonio *submissionis* in migrantibus Delphiniis, *sincerique scopi*, qui non ad inferendas injurias venerint, sed pro vitæ levamine quærendo.

Cui *modestiæ*, pro justo *Delphinienſis colo-*

coloniæ elogio, opponitur *Salganeorum ruſticitas*:

36 *Ruſtica* (Salganeenſium) *turba vetat.*

Peraptis, juſtis, Bœotus utitur in impolitos ſuos cives alluſionibus: ἀκόλαστος ὄχλος, *Salganeenſis* gens ſale carens, ἀγέλαστος ἴσχλος, incivilis & inficeta turba, σκληρὸς, ὑλικὸς, ἀλόγιστος, ἀσυλλόγιστος, ἀπειρόκαλος, ἀκαλλὴς, ruſticus & *invenuſtus populus*, ἀγελαῖος, trivialis, vilis & rudis cœtus.

Vetat ruſticitas *haurire hoſpites civiles gelidam* duntaxat *aquam*. Salganeenſes ἀλέξαντες, arcent bonos & humanos, κολάζοντες, reprimunt ſubmiſſos & devotos, κωλύοντες, prohibent, καταναλίσκοντες, profligant hoſpites modeſtos, & *ne aquæ quidem uſum* indulgent placidis & parvo contentis. Quoniam *Salganei* urbs, *Glauci Lycii* alias nomine veniens, *generis* & *originis* erat *Corinthiorum* (v. Pindar. Olymp. od. 13. Homer. Ili. 6.) Ideo quos Corinthii ſuis arribus alibi excluſerant, hic facilius obtinuerint; aut Salganeenſes ſua ſponte gratiam majoribus ſuis Corinthiis facturi, tam facti inhumani & iniqui. Ut fit.

36 *Dea sic affata vetantes:*

Latona, Delphiniorum amplior jam colonia, quæ vix pedem urbi Salganeo intulerat, aramque pro sui ortus symbolo susciterat, indigne tam rudem Salganeensium ferens inhumanitatem, *de injuriis est conquesta*, suam *testata modestiam*, quæ nil ab illis quærat quod sit damno. Amarulentia rusticorum siti dulcem negat lympham. Vetare, quod larga manu affundit tellus, querula horret Latona:

37 *Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est:*

38 *Nec solem proprium natura, nec aëra fecit,*

39 *Nec tenues undas: ad publica munera veni.*

Justa querela colonorum de injusta prohibitione communis aquæ. Candida demonstratio *juris humani* in illas consortii & societatis partes, quæ nemini quidquam derogent. Livor prohibet, quod cœlum dedit, quod benigna natura largita. Aperta contestatio *humanitatis* in colonia atque *integritatis*, quæ nil indigni quærat, nil injusti cupiat, sed consortium civile ambiat, sine ullo civium & sociorum detrimento. Publica cœli terræque munera,

aërem

aërem, lucem, lympham, interdicere, immanem truculentiam culpat Latona.

40 *Quæ tamen ut detis, supplex peto.*

Præclara obtestatio *tranquillitatis* & perhumanæ socialitatis *in humili & devota isthac colonia*, quæ quod larga *natura* jam tum tribuat & liberum concedat, per *preces* tamen obtinere a civibus contendat. Ut *ultra jus preces* pondus habere majus videantur. Latona *supplex* perelegantem refert ex mythologorum ingenio paronomasiam: Λητὼ λιτήσομαι, λιτησία, λιτομένη, peregrinus popellus suppliciter rogans.

Amplius suam obtestatur in civitate *modestiam & virtutem* Latona, Delphiniorumve spectabilior aut numerosior jam colonia:

40 *Non ego nostros*
41 *Abluere hic artus lassataque membra parabam,*
42 *Sed relevare sitim:*

Nihil molestiæ, nihil tædii, nihil damni, ab his novis tranquillis colonis Salganeensibus civibus esse metuendum, qui aquam illorum turbare nolint, qui se in Salganeen-

ganeensium lacu κλύζειν *abluere* non instituerint, quique civium non immineant bonis, sed rebus illorum salvis vitam levasse tenuiter contenti sint. Quam urgentem necessitatem non sine exhaustæ linguæ æstu affectuque flebili ægra exponit colonia:

42 *Caret os humore loquentis,*
43 *Et fauces arent: Vixque est via vocis in illis.*
44 *Haustus aquæ mihi nectar erit; vitamque fatebor*
45 *Accepisse; Simul vitam dederitis in undis.*

Quanta & quam dulcis ac copiosa *humanitatis* eloquentia! quantum gratiæ æstimium, *in supplicibus exhaustis colonis*, & *modestissimis aridæ linguæ hospitibus*! Linguæ, linguæ, inquiunt, faucibus hærent. Æstus exussit linguas. Linguæ ad lympham adspirant. Ex fonte nectar in linguas, ne marcescant!

Sed & alterum persuasionis tenerrimæ penetrantissimæque argumentum, ex *levanda imbecillitate commeantium*, velut querulorum infantum, & gementium, qui undas, & in fonte, in haustu aquæ, ad vitam

vitam enixe anhelent. Ex fonte vita.

46 *Hi quoque vos moveant, qui noſtro brachia tendunt*

47 *Parva ſinu.*

*Apollo* & *Diana*, adhuc infantes, coloniarum Delphicæ & Thermiæ prima incunabula, tenera & imbecillia exordia, ad magnam gloriam ſuo tempore aſſurrectura. Horum, qui magnarum rerum publicarum ſpes erant, miſereri rogat Latona, ſive Delphiniorum hic commeatus recens. Exilia coloniarum principia imprudenter premi, quæ ſuo tempore in magnas gentes evaſuræ!

47 *Et caſu tendebant brachia nati.*

Luculenta effigies *animorum ſupplicum* in tenerrimis his noviter emergentibus coloniis, pro verſato Poëtarum genio, qui pectoris deſideria vivido corporis motu effigiare docti.

48 *Quem non blanda dææ potuiſſent verba movere?*

Quod jus dediſſet & *natura* ipſa, id nec ſupplices *preces* potuiſſe efficere, miratur, dolet & conqueritur ipſe Bœotus civis. Quod *jure* potuiſſet uſurpari, id *miſericordiæ* nomine fuiſſe quærendum, & anxie quæſitum, nec apud hos homines impetratum. Λητὼ κηλήτειρα, *Latonam dictis pectora demulſiſſe*; aſt humanitatem amiſiſſe ſuam mulcendi vim. Irritum humanitatis ſtudium.

49 *Hi tamen orantem perſtant prohibere:*

*Inhumanæ Salganeæ gentis*, & rudis ac impolitæ, trucis & immiſericordis, impiæ & illiberalis, novum *teſtimonium*, ruſticitatis augmentum. *Salganeenſis* ἀκήλατος, qui mulceri nequit, preces reſpuens impenſas, officii & beneficii ignarus.

49 *Minasque,*

50 *Ni procul abſcedat, convitiaque inſuper addunt.*

*Salganeenſes* λακτίζοντες, calcibus petunt, καὶ ὁμοκλήσαντες & minaciter clamant, θλάζοντες ſtulte loquentes. Encomia Salganeenſium invidenda, qui *pro humanitate* non niſi *minas* & *convitia* funderent, ὁμοκλητῆρες

κλητῆρες, objurgatores, qui magno clamore minarentur, σκύλλοντες, molesti, & ad vexandum ac torquendum compositi, ἀσελγεῖς, ἀτηλεγεῖς, atroces. *Salganeenses* λάσκοντες, δὴ χείλεσιν. ἀμφιλάλοις, streperi, contumelioſi, λεχηνεύοντες *loquaces & injurioſi*, λεχηνίται. Pares & genuini Salganeenſium characteres, ex tacito Poëtæ indicio, alluſionibus perpetuis, quas ex græcis omnes hauſerat Ovidius, Boeotum canens, mythologus. Sed necdum Salganeenſium effigies plena.

51 *Nec ſatis eſt: Ipſos etiam pedibusque manusque*
52 *Turbavere lacum; Imoque e gurgite mollem*
53 *Huc illuc limum ſaltu movere maligno.*

Quam ſcita allegoria in re tam inficeta! *Convitiorum* atque *injuriarum* ubi nullus finis, ibi & *malitiæ & ſævitiæ* nullus modus. Non ſatis, negaſſe hoſpitibus vel vitæ ſervandæ ac *reſpirationis remedium*, beneficii tantillum; *nocere* quoque oportuit, &, ne quid ex uſu eſſet illorum, *perdere*. Limpida lympha turbanda limo, innocentiaque maculanda ſtrepitu & calcibus. *Limum*

*mum* è fundo lacus turbulento motu excitet invidia, sæva & incivilis, ne quid sit, quo potiatur humanitas atque integritas. Et penes quos putetur arbitrium, *frivolas* confingant *causas*, quibus colonos onerent, ac odiosos reddant, quibus tumultuentur & furant. *Salganeenses* λυσσῶντες, invidiæ oestro perciti, præ invidia pene in furorem acti, ἀλισγῶντες, contaminantes, polluentes, λευγαλέοι, pernicioſi, difficiles, graves, mali, σκολιοὶ, pravi, σκληροὶ, asperi, sævi, σύγνοὶ, odiosi, maligni: Tectis Poëtæ, Græcorum æmuli, allusionibus dulcissimis, pro illorum malignitate.

*Salganeenses* σκυλεύοντες ἰλὺν, turbantes limum, quietis & tranquillitatis societatisque hostes, συγκυκλῶντες καὶ ἐνοχλῶντες, qui omnia miscent & turbant, sursum deorsum cuncta movent, omnia prætexunt, objiciunt, modo obsint. Balneator Salganeensis, calo & lixa ipsumque lixivium, ὁ πονηρότατος βαλανεὺς, ὁπόσοι κρατῶσι κυκησιτέφρου καὶ κιμωλίας γῆς.

## 54 *Distulit ira sitim.*

Latona, afflicta, sitibunda Delphinienſis colonia, *præ animi dolore sitis immemor* reddita;

dita; quæ *non* jam amplius videretur *sentire aut animadvertere* commeatus difficultatem, *sensu pene ex animi indignatione privata;* ut sitim extingueret non dulcis gutta, sed amarus dolor.

54 *Neque enim jam filia Cœi*
55 *Supplicat indignis, nec dicere sustinet ultra*
56 *Verba minora Dea.*

Latona Dea, Delphiniorum civitas, Κοιανὶς Orpheo, *filia* aut propago vel colonia, *Cœi*, urbis puta *Ægii in Achaja. Desinit* hæc Delphinia colonia, migrans & apud Salganeenses appellens, blanda & perhumana hactenus, ut & præter jus supplex; desinit, inquit hic Boeotus, *precibus uti* longioribus, *quas ira & dolor tandem interciperent.* Cui accessit *justi animi sententia*: tam multis precibus, humilitatis testibus, per insontem Latonam flecti quod non potuerint Salganeenses, *indignos illos esse uberioribus votis*, devotionis prodigis. Non sustinet humana colonia præ indignatione amplius dicere *verba minora*, vel *submissiora*, humillima, quæ præter jus ab innocente & humili abunde erant cumulata. Rogare devote, verbisque minoribus uti, frustra-

neum sentiens, *irritam videns* suam *devotionem*, quam despuerent inhumani Salganeenses, *ad divinam* se convertit *vindictam* implorandam.

56 *Tollensque ad sidera palmas,*
57 *Æternum stagno, dixit, vivatis in isto.*

Irritam & inanem apud cives rusticos *devotionem ratam apud sidera* fore confidit. *Cœlum* proinde *obtestatur* Latona, integerrima colonia, vehementer torta, cœloque *justam* committit *ultionem* odii & injuriarum. Apollo quidem & Diana, adulti, postea in his aliisque contemptum abunde vindicarunt, (juxta Pausaniam, l. 8. c. 53. f. 706. l. 2. c. 21. f. 160.) Ast nunc statim, ipsiusmet Latonæ pectus, ira accensum, flammas sursum mittens, parcere nescit ardenti voto, pro vindictæ propinquæ genere. Optat ergo, *Salganeenses, dignos, qui ne rustici quidem amplius & inhumani audiant*, homines adhuc visi, sed promeritos, qui & *formam exuere* jubeantur *humanam*, induereque & brutalem, qui mentem jam abjeciissent humanitate imbutam, κτώδαλα, *bruta:* Optat, inquam, hos non ad paludem, rusticos, sed *in palude, coaxantes* &

blate-

blaterantes *maledicas ranas*, in perpetuam contumeliarum memoriam hærere, inque limo vitam transigere, bonæ quippe puræque mentis exsortes. Recte *Salganeenses*, λάλαγας, *ranas garrulas*, imposterum audire, juvante ominosâ Græcorum paronomasiâ.

58 *Eveniunt optata Deæ.*

Remotum *cœlum* promptius audivit Latonam rogantem, quam proxima rustica Salganeensium κοαλέμων & κοβάλων maledicorum & stolidorum turba. Evenit, quod à *cœlo* petiit, quod erga bonam benignius, & in re æqua justius acsincerius limo & cœno Salganeensi.

58 *Juvat esse sub undis,*

Mox *Salganeenses*, qui homines esse jam antè suopte arbitrio desierant, *humanitatis expertes*, sunt & comparent κόακες *ranæ maledicentissimæ*, pro dignitate urbis, quæ non hominum civiumque officiosorum societas, sed palus, & *ranarum in palude limosus grex*. Statuarii, pictores, poëtæ, has in Salganeenses condidere larvas, pro vindicta injuriarum, quas modestissimæ humanissimæque Latonæ intulissent contu-

meliosi Salganeenses, λιμναῖα κεφηνῶν τέκνα, *aquæ paludosa stirps.*

59 *Et modo tota cava submergere membra palude:*
60 *Nunc proferre caput, summo modo gurgite nare:*
61 *Sæpe super ripam stagni consistere: Sæpe*
62 *In gelidos resilire lacus.*

*Ranæ Salganeenses*, ut hominibus degeneribus dignum, omni opere & modo, ἐν τεγάνῳ κοιλῷ, in palude cava, καλαπλύζοισις ἑαυτὰς, se mergentes, nunc αἰγιαλίται, in littore degentes, λοξοὶ, turpem suam testatæ naturam, invidam & procacem, lutosam.

62 *Sed nunc quoque turpes*
63 *Litibus exercent linguas, pulsoque pudore*
64 *Quamvis sint* sub aqua, sub aqua *maledicere tentant.*

Quo nullum elegantius & rebus accommodatius magisque *sonorum Poëtæ carmen, in Salganeensium impudenti maledicentia* vituperanda & *horrido ranarum cantu cantando.* Turpis *Salganeensium* lingua, ἀκόλαστος γλῶσσα, lingua effrenis, γλοιὴ γλῶσσα, sordida &

da & turpis lingua. Salganeensis κόβαλος, maleficus, loquax, blaterator, κακολόγος, maledicus, καταλάλος obtrectator, σχετλιάζων, convicians, ἐλέγχων, criminans, ἐπιγλωσσώμενος, linguâ effutiens, crepans & deblaterans. Dignæ Ovidio visæ, pro mythologorum græcorum indole, in quas mentem calamumque verteret, appositæ paronomasiæ. Harum voces nil nisi πομφολυγοπαφλάσματα, *ranarum bullæ.*

Neque vero *maledicentia Salganeensium* magis concinne & sonore exprimi potuisset, quam *sub aqua sub aqua coaxantium* terribili strepitu: οὐδὲν γὰρ ἐς ἀλλ', ἢ κοάξ: *Nihil enim est præter coax.* Collimavit autem, Græcorum Poëtarum, ut in omnibus, imitator & æmulus felicissimus, in verba λαλάζειν, vociferari, & λαλαγεῖν clamare, perquam commodâ & nativa ac veluti congenita paronomasia. Σαλγανεῖς λαλάζοντες & λαλαγοῦντες, *Salganeenses vociferantes & clamantes*, clamosi & maledici, impudentes mendaces. Totaque *carminis* & mythologiæ *elegantia* in illa consistit affinitate, ut rerum, ita & vocum: Σαλγανεῖς λάλαγες, *Salganeenses ranæ loquaces.* Sunt λάλαγες *ranæ virides*, *quæ circum stagna*

*commorantur*, aliàs κέυβεροι vocatæ. Λάλαξ enim *clamor* est, vociferatio.

Gaudet autem Poëta cum Boeoto hospite, inconditas, maledicere doctas, *Salganeenses ranas* curate auditas postremo ridere, pro majori illarum honore & gloriâ:

65 *Vox quoque jam rauca est:*

*Salganeensis* ἀμφίλαλος, blæsus, τραυλὸς, balbus; præ nimia λαλαγῇ vociferatione & maledicendi contentione ut vocalissimus, ita & βραχγάλεος præ vehementi clamore *raucus, cum ranis.* Quam clara vox Poëtæ, in ranarum raucedine canenda, quam argutus sonus, in aperta paronomasia!

65 *Inflataque colla tumescunt,*
66 *Ipsaque dilatant patulos convitia rictus:*

Immodica *maledicendi lubido*, turgidis ranarum buccis belle effigiata. Quod est Poëtarum artificium admirabile. *Salganeenses* λευκανίαις χάνεσι gutture hiscunt, λαρυγγίζεσι σπερμολόγοι, late diducto gutture vociferantur & clamitant. *Salganeensis* λαρυγιτὴς, λαρυγγιῶν, clamosus, qui raucos guttura edit præ clamore ronchos, πομφολύγας χελυσσόμενος, bullas, quibus colla turgent, eructans.

eructans. Quæ analogæ voces solertissimo mythologo Ovidio ex græcis fontibus in ore & mente, epitheta contumeliosorum Salganeensium nativa, pro paronomasiæ decore.

67 *Terga caput tangunt, colla intercepta videntur:*
68 *Spina viret: venter, pars maxima corporis, albet:*

Nec pictores plenius pinxerint *Salganeenses ranas*, nec poëta planius descripserit: Ne quid desideretur *in ranis ex* inurbano *homine factis*, pro orationis carminisque luce & dignitate. Salganeenses homines plenæ evasere ex hominibus *ranæ*, *dorso virides*, χλοηροὶ, & *pallidæ sub ventre*, κοιλία σελαγῖσες, ventre lucentes, albicantes, ut lividis rusticis ranisve dignum. Salganeenses urbanitate abjectâ facti genuinæ & perfectæ ranæ, omni depositâ humanitate.

69 *Limosoque novæ saliunt in gurgite* ranæ.

Epilogus carminis, omne totius orationis decus, vim plenumque argumentum nervose comprehendit, quo agrestes & inhumanos *Salganeenses*, pro longa vivida superiori

riori indolis degeneris descriptione, sordidas aperte diserteque & lutulentas appellat *ranas*, gurgites in gurgite, *in paludoso limo subsultantes*, κατιλυφέντας *limo* illitas & *obductas*. *Salganeenses* rustici τομφολυγηροὶ, bullis turgidi, ἐν ιλυῖ ἐξαλλόμενοι, *in limoso lacu salire* docti, collutulati. *Salganeenses*, λάλαγες, clamosæ & coaxantes, garrulæque novi generis loquaculæ *ex rusticis ranæ*.

Barbara rusticitas, ranæ streperæ, reboantes:
Gurgitibus recubans grex perperus ore procaxque.

---

## Athenæ
### *Athamantio S. P. D.*

Εἶπω θ' ὅσα τοι ἄισα δομοις ἐνὶ ποιηλοῖσι
Κήδε' ἀναχίδαι: Σὺ δὲ τετλάμεναι καὶ ἀνάγκη,
Μηδὲ τῳ ἐκφᾶσθαι μήτ' ἀνδρῶν μήτε γυναικῶν:
Πάντων γὰρ ἐχθρὸς ἄρ' ἦλθες ἀλώμενος· ἀλλὰ σιωπῇ
Πάσχειν ἄλγεα πολλὰ, βίας ὑποδέγμενος ἀνδρῶν.

S. D. S.
A. P. S.
S. P.
R. V. D. H.

# INDEX.


*Agrestes & rustici, Salganeensium civium insigne* p. 59. 60. 61.

*Alga languida, encomium Salganeensium* p. 59.

*Algam & juncum colligere, Salganeensibus rusticis dignum.* p. 59. 60.

*Antiquitatis imperitia obscuravit mythologiam* p. 39.

*Antonii Liberalis Metamorphoses, historia græca,* p. 39.

*Apollo, symbolum urbis Delphorum in Phocide* p. 57.

*Apollo & Diana, gemini, duarum urbium, Delphorum & Thermi, in Phocide & Ætolia, simulacra* p. 54. 58. 65.

*Apollo & Diana, liberi Latonæ, duæ coloniæ Delphorum & Thermi, ortæ ex urbe Delphinio Bœotiæ* p. 42.

*Apollodori Bibliotheca, est græca Historia* p. 37.

*Apollonii imagines sunt historia græca,* p. 37.

*Appellativa nomina à mythologis ex propriis facta,* p. 40.

*Aquam haurire vetant rustici* p. 61. 62.

*Aquam meram quæsivit Latona* p. 60. 61. 62.

*Arida Latonæ lingua,* p. 64.

*Bœotia mythologis pontus & mare,* p. 51.

*Bœoti Boves,* p. 46.

*Bœotorum urbs Cnopia, mythologis Niobe,* p. 40. 41.

*Bœotiæ urbs Delphinium, mythologis Latona,* p. 40 41. 42.

*Bœotiæ urbs Salganeus, mythologis Lycia, & rustici Lycii* p. 43. 44.


Canna

*Cannæ languidæ, languidorum Salganeensium symbolum, p. 47.*
*Cinæthus Chius Delphinios celebravit nomine Latonæ, p. 55.*
*Cnopiæ Thebaicæ, Bœoticæ urbis symbolum Niobe p. 38. 40.*
*Cnopii Bœoti spreverunt coloniam Delphiniam, p. 41.*
*Cnopii scopuli, non homines, ex inhumanitate, p. 41. 42.*
*Cœus urbs est Ægium in Achaja p. 69.*
*Colligere vimina & juncos, & colligare juncos vimine, servilis Salganeensium labor, p. 60.*
*Coloniarum ardens studium p. 57. 58.*
*Coloniæ secum duxerunt idola, suæ originis & generis symbola, p. 39.*
*Communia beneficia prohibent rustici, p. 62.*
*Convitia sunt rusticorum, p. 66.*
*Convitiorum & injuriarum effigies, p. 67. 73. 74. 75.*
*Cononis mythica sunt historia græca, p. 37.*
*Corinthii coloniis Delphinienſium ubique restiterunt p. 50. 55. 61.*
*Corinthi urbis symbolum Juno, p. 50.*

*Delia oliva, est Delium, Bœotiæ oppidum p. 53.*
*Delos excepit Latonam, Delium Bœotiæ admisit coloniam Delphiniam, p. 52. 53.*
*Delos mythologis urbs Delium Bœotiæ p. 51. 52. 53.*
*Delphinii urbis symbolum Latona, p. 39. 40.*
*Delphiniorum nova colonia ex urbe Delio, p. 53.*
*Delphinienſis colonia a Cnopiis Bœotis non admissa p. 40. 41. 42.*
*Delphinienſis colonia sui contemptum in Cnopiis vindicavit p. 41. 42.*

Delphi-

*Delphinium, urbs & portus Bœotiæ, p. 40.*
*Delium, Bœotiæ urbs, olea mythologis, p. 53.*
*Diana filia Latonæ, urbs Ætoliæ Thermus Delphinii Bœoticæ urbis colonia, p. 42.*
*Dianæ simulacrum urbis Thermi in Ætoliæ symbolum p. 54. 56.*
*Dissimulandi artificium in Poëtis, p. 44.*

*Effigies, aut idola vetera, urbium & gentium symbola, p. 39. 40.*
*Effigies urbium & gentium, sub imaginibus hominum, religiose tandem cultæ, p. 39. 40.*
*Ephesiorum jactantia, de Latona apud se versata, ex mythologiæ ignorantia, p. 44.*
*Ephyra, antiquum urbis Corinthi nomen, p. 50.*
*Ἥρα, Juno, urbis Corinthi character apud mythologos, p. 50.*
*Erratica Delos, Colonia Bœotica Delii, pro sede quærenda oberrans, p. 51. 52.*

*Faunus, symbolum urbis Panopeæ in Phocide, p. 49.*
*Faunus & Sylvanus eadem Panopeensium effigies, p. 49.*
*Fontium numina, Najades, symbola Aganippes sub Helicone, p. 49.*

*Gemellipara Latona, Delphinium, duarum coloniarum origo, p. 54. 55.*
*Gemini Latonæ, duæ Delphiniorum coloniæ, p. 54. 55. 58.*
*Græci & Latini Poëtæ veteres omnes hactenus perobscuri, p. 36.*

*Heracli-*

*Heraclides Ponticus ignoravit veteris mythologiæ sententiam*, p. 39.
*Hesiodi Theogonia est historia græca*, p. 37.
*Hesperiæ Najades*, *Thespienses prope Heliconem* p. 49.
*Historia patria Græcorum in illorum mythis*, p. 37.
*Homeri monumenta*, *historia græca*, p. 37.
*Homerus non intellectus*, *ob mythologiam*, p. 36.
*Humanitatis apologia*, p. 62.

*Ideæ urbium & gentium*, *statuæ & idola veterâ* p. 39. 40.
*Idola in honorem & memoriam urbium & gentium primitus fabrefacta*, p. 39. 40. 41. 42.
*Inhumanitas Niobes*, *s. urbis Cnopiæ*, *vindicata saxo*, p. 41.
*Injuriæ non omninò à Latona dissimulatæ*, p. 62.
*Injuriarum effigies*, p. 66.
*Injuriæ vindicantur votis*. p. 70.
*Integritatis apologia*, p. 62. 63.
*Iræ vis*, p. 68. 69.
*Juno*, *Jovis uxor*, *Corinthus Pisanis confœderata*. p. 50.
*Juno fugavit Latonam*, *Corinthii Delphinienses colonias persecuti*, p. 55.
*Juno*, *urbis Corinthi symbolum*, p. 50.
*Jus infra preces*, p. 63.

Ἀλαγές, *ranæ*, *Salganeenses cives*, p. 70. 71. 72. 73. 74.
*Lacus & palus urbis Salganei imago*, p. 58. 70.
*Latona à Bœotis aliisque Græcis & Ægyptiis culta*, p. 38. 39. 40.
*Latona Cœi filia*, *progenies Ægii*, *urbis Achivæ*, p. 60.

Latona

*Latona de inhumanitate & injuriis questa*, p. 62. 70.
*Latona exhausta* p. 64.
*Latona fessa*, p. 63.
*Latona gemellipara*, *Delphinium*, *duarum coloniarum origo*, p. 42.
*Latona imprecatur invidis & maledicis*, *ut fiant ranæ*, p. 70. 71.
*Latonæ modestia & devotio*, p. 60.
*Latona parturivit*, *Delphinii novam pararunt coloniam*, p. 53.
*Latona rusticitate offensa*, p. 62. 70.
*Latona sitiens* p. 64.
*Latona*, *sole exusta*, p. 57.
*Latona supplex*, p. 63.
*Latona*, *urbis Delphinii in Bœotia symbolum*, p. 38. 40.
*Latona*, *statua feminea*, *Delphinienſis coloniæ character* p. 40. 41. 42.
*Latonæ*, *Titania*, *originis Achivæ*, p. 60.
*Lapis facta Niobe*, *propter inhumanitatem* p. 42.
*Leleges in Lycia & Bœotia*, p. 45.
Λιπτὼ, *peregrinans & oberrans colonia Delphinia* p. 40.
*Linguæ in Delphinienſi colonia aridæ* p. 64.
*Linguæ nectar*, *limpida lympha*, p. 64.
*Lycia mythologis eſt civitas Bœotiæ Salganeus*, p. 43. 44. 56.
*Lites turpes ex hominibus faciunt ranas*, p. 72. 73.

*Maledicentia ex civibus ruſticos ex ruſticis ranas facit*, p. 70. 71. 72. 73. 74.
*Minæ bonis viris intentæ*, *ſunt ruſticorum*, p. 66. 67.
*Modeſtiæ apologia*, p. 62. 63.
*Modeſtia & ſubmiſſio Latonæ* p. 61.

*Montium numen, Faunus, Panopea, urbis in Phocide symbolum, p. 49. 50.*
*Mythologi græci omnes historiam scripsere græcam, p. 37. 38.*
*Mythologia vetus lucem expectat, p. 36.*
*Mythologiæ interpretes, veteres & recentes, longe abierunt à scopo, p. 39.*
*Mythologi mutant historiarum theatrum, quod non nisi periti pervideant, p. 44.*
*Mythorum arcana, recondita patriæ historia, p. 37.*

*Najades, fontium simulacra, p. 48.*
*Najades symbola Aganippensium civium sub Helicone p. 48. 49.*
*Νάπος, νάπη, saltus, nomen dedit Fauno, p. 49.*
*Natalis Comes ignoravit veteris mythologiæ scopum, p. 39.*
*Niobe est simulacrum urbis Bœotiæ, Cnopiæ Thebaicæ, p. 38. 40. 41.*
*Niobe repudiavit Latonam, Cnopii rejecerunt Delphinios, p. 38. 40. 41.*
*Niobes inhumanitas vindicata à sculptoribus & poëtis, p. 41.*
*Niobes mutatio in saxum terruit vicinos, p. 41. 42.*
*Nomina appellativa, propriis cognata, apud mythologos p. 40.*
*Nomina propria urbium & gentium à mythologis in appellativæ mutata, p. 40.*
*Nominum propriorum in analoga appellativa mutatio, artificium mythologorum paucis cognitum, p. 44.*
*Numina propria, propriæ gentis symbola, p. 49.*
*Numina peregrina, peregrinarum gentium symbola p. 49.*

Obscu-

*Obscuri viri Salganeenses, propter ruditatem morum & inhumanitatem, p. 45.*
*Olea, symbolum urbis Delii in Bœotia p. 53. 54.*
*Orphei Argonautica, historia græca, p. 37.*
*Ovidii Metamorphoses ex Græcis, p. 30.*
*Ovidius græcæ historiæ interpres, p. 37.*

*Pallas, Minerva, urbis Athenarum symbolum p. 53.*
*Palma, φοίνιξ, symbolum urbis Delphinii, p. 53. 54.*
*Palus & stagnum, urbis Salganei character, p. 46. 47. 70.*
*Pan, urbis Panopeæ Phocidis tessera: p. 49.*
*Parthenii Nicaensis Erotica, historia græca, p. 37.*
*Patientia læsa p. 69.*
*Pisani cives ex Elide cum Delphiniis novas apparârunt colonias, p. 56.*
*Plato cum cæteris mythorum interpretibus ignoravit verum mythologiarum sensum, p. 39.*
*Profunda veterum mythologia, p. 36.*
*Pœna Niobes, ex inhumanitate, saxum rigidum p. 41. 42. 43.*
*Pœna rusticorum Lyciorum, ob inhumanitatem ac rusticitatem, convitiandique libidinem, ranæ, in quas degenerarunt.*
*Poëtarum argutia in propriis nominibus inflectendis, p. 45.*
*Poëtæ & sculptores Cnopiorum vindicarunt inhumanitatem saxo, p. 42.*
*Poëtæ gentium nomina propria mutarunt in appellativa p. 40.*
*Poëtæ græci & latini hactenus nondum intellecti ob mythologiam, p. 36.*
*Pontus mythologorum Bœotia p. 51.*

*Preces supra jus*, p. 63.
*Preces extinguuntur dolore*, p. 69.
*Propria nomina civitatum & populorum in appellativa apposite mutarunt mythologi*, p. 40.
*Ptolomæi Hephæstionis mythica*, *historia graeca*, p. 37.

*Ranæ Bœoticæ*, p. 43. 71. 72.
*Ranæ ex rusticis Lyciis*, p. 70. 71. 73. 74. 75. 76.
*Ranæ Homeri cum muribus dimicantes*, *belli graci historia*, p. 36.
*Rustici in ranas*, p. 38. 70. 71.
*Rustici Lycii spreverunt Latonam*, *Salganeenses repudiarunt coloniam Delphiniam*, p. 43.
*Rustici prohibent communia beneficia*, p. 66.
*Rustici prohibent haurire aquam*, p. 61. 66.
*Rustici*, *Salganeenses cives*, *ob morum asperitatem*, p. 59. 60. 61.

*Salganeenses*, λάλαγες, *ranæ*, p. 45. 46. 70.
*Salganeenses*, *originis Corinthiacæ*, p. 61.
*Salganeenses*, *pigri*, *laxi*, *remissi*, p. 47. 48.
*Salganeenses spreverunt coloniam Delphiniam*, p. 43.
*Salganeenses viri obscuri*, p. 43.
*Salganeensium encomia*, p. 47. 59. 60. 61. 70.
*Salganei urbis character*, *palus & lacus* p. 46. 58. 59.
*Salganei urbis Bœoticæ situs*, p. 44.
*Salganeus*, *Bœotiæ urbs*, *mythologis Lycia*, p. 43. 44.
*Sculptilia & idola*, *urbium & gentium*, *coloniarum & populorum indicia ac symbola*, p. 39. 40. 41. 42.
*Sculptorum artificium*, *gentes & civitates*, *ideis hominum*, *virorum & feminarum*, *effigiandi*, p. 38. 39. 40.

Sculpto-

*Sculptores & pictores vindicarunt publicas urbium & gentium injurias imaginibus* p. 40. 41 i 42.
*Sculptores idolorum autores*, p. 39. 40.
*Simulacrum Niobes, urbis Cnopiæ in Bœotia effigies.* p. 38. 40.
*Simulacra & statuæ, gentium & urbium insignia.* p. 39 40.
*Sitim restinguere optat Latona*, p. 63. 64.
*Societatis communia jura* p 62. 63.
*Sol, mythologis symbolum urbis Delphorum*, p. 57.
*Statuæ, urbium & gentium imagines & ideæ*, p. 39. 40.
*Supplices preces ultra jus* p. 63.

*Tenebræ in Græcorum & Latinorum Poëtarum scriptis*, p. 36.
*Thespiæ mythologorum Hesperia*, p. 49.
*Titania Latona, Delphinii ex Titane, Achajæ urbe oriundi*, p. 60.
*Tranquillitatis apologia*, p. 63.
*Turbarum hostis Latona, Delphiniorum colonia*, p. 63.

*Valles Salganei urbis symbolum*, p. 58.
*Veteres historiam patriam mythologiæ involverunt*, p. 37.
*Vox hærens aridis linguis* p. 64.
*Urbes & gentes, virorum & feminarum charactere effigiatæ*, p. 38. 39. 40.

Ci 519

X 2344682

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-153440-p0089-2

# RANÆ OVIDII

*Metamorphoſeων. Lib. IV.*

Luculento & jucundo priſcæ
Mythologiæ
abſtruſæ & nemini hactenus
perſpectæ exemplo
ad elegantioris veteris doctrinæ
uſum
bonorum quorumcunque autorum
Græcorum & Latinorum Poetarum
lucem
*detectæ ac demonſtratæ*
ab

HERM. von der Hardt/
Præpoſ. Mariæb.
L. in. O. [illegible] Acad. Jul. Prof.

*Helmſtadi*,
Literis Hammianis. 1711.

Li 519. 1914 2471